



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 86. Cardinalis S. Petri ad vincula Legatus in Francia

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.  
A.C. 1476.

bellorum tumultus intermissa, ac inde multa schismata & scandala in Ecclesia fuerint exorta: hinc animus nobis est, ut tale Concilium celebrandi potestatem quam primum fieri poterit, concedi postulemus; ac propterea injungimus omnibus Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Prælati, ut ad suas Dioceses intra sex Menses sub pœna proscriptionis bonorum temporalium se recipiant, ibique diem, quo sunt convocandi, expectent; interea vero se ad hoc Concilium debite præparent. Eodem quoque edicto sancitum, ut quicumque Roma venirent, tenerentur in primo Regni ingressu literas, Bullas & Scripta, quæ secum afferunt, exhibere, ut compertum sit, si quid in illis forte contineatur, quod in præjudicium Regni ac privilegiorum Ecclesiæ Gallicanæ verteret: præterea ob eandem causam per aliud decretum Mense Septembri editum cautum erat, ne quis Abbas, Prior, aut quivis Religiosus ad Capitulum sui Ordinis extra Gallias celebrandum ullo modo proficisci posset, indicta pœna exilii, aliisque durioribus. Ejusmodi prohibitio in Galliis pluries decreta legitur.

§. LXXXVI.

*Cardinalis S. Petri ad vincula  
Legatus in Francia.*

Cuncta hæc edicta a Rege promulgata  
fuere,

Sæcul. XV. fuere, ut metum incuteret Juliano Cardinali titulo S. Petri ad vincula, Pontificis Nepoti, qui eo tempore ad Legationem suam in Gallias missus, Avenionem pervenit, ibidemque dissensionem habuit cum Carolo Borbonio ejusdem urbis Vice-Legato, & Lugdunensi Archiepiscopo. Contentio hæc Legatum inter, & Borbonium exorta est de juribus, quæ hic Avenionensi Legationi annexa esse contendebat, ac cum libertatibus, atque Regni privilegiis conciliare nitentur. Hujus consilio oblectatus est Legatus, eo potissimum nomine, quod Rex Archiepiscopi sibi sanguine juncti partes strenue tueretur, Maxime tamen Cardinalis Legati animum sollicitum, anxiumque reddidit fama temere sparsa, quod Ludovicus Rex non solum eo consilio copias in Provinciam misisset, ut ab hujus ditioris cessione, Burgundiæ Duci faciendâ, Renatum Andegavensem impediret; sed præcipue, ut Avenionensem Comitatum Ecclesiæ Romanæ subditum occuparet. (\*) Ad hæc Legatus animo

haud

(\*) Joanna Siciliæ Regina ac Provinciæ Comitissa Avenionensem Comitatum Clementi VI summo Pontifici Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo pro pretio octogies millium florenorum Florentini valoris, sen

haud parum turbatus, Regem adiit, a <sup>Sæcul. XV.</sup> quo tamen errore suo liberatus, moxque <sup>A.C. 1476.</sup> edoctus est, quod Rex cum Renato Andegavensi in pristinam amicitiam rediisset, proin Burgundiæ Dux spe sua, prætentisq; in Provinciam juribus frustratus esset; re enim ipsa Provinciæ cessio Regi sub certis quibusdam conditionibus facta fuit.

## §. LXXXVII.

seu circiter viginti quatuor millium florenorum Rhenanorum vendidit, proin hic status titulo oneroso ad Romanæ Ecclesiæ Dominium per illos, quibus pleno jure antea debebatur, devolutus est. Anno autem Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio Ludovicus XIV. Galliarum Rex præfatum Comitatum, ut injuriam ejus Legato Romæ illatam ulcisceretur, sibi vendicabat; verum rursus facta Pisis pace Anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto, necnon Anno millesimo sexcentesimo octogesimo nono, ac denuo uno post anno eadem ditio solemniter Romano Pontifici asserta, ac restituta fuit. Comitatus vero Viscantinus, quem Joanna Raymundi Comitissæ filia tanquam suam possedit, hæreditario jure ad Philippum audacem pervenit, eandem vero idem Philippus libere ac sponte *per donationem inter vivos* Gregorio X. summo Pontifici Anno Salutis millesimo ducentesimo septuagesimo tertio cessit.

*Hist. Eccles. Tom. XXIX.*      N n